

no. Bartolus in l. *Non solum*. § *Sed ut probati*. ff. *de Novi operis nuntiat.*; Farinacius consil. 115. n. 7. et consil. 172. n. 23. lib. II, citans alios; et subjungens, quod totus mundus sequitur doctrinam Bartoli. Hinc etiam per præsumptivam probationem, et minus plenam, puta mediante proprio juramento, eliditur præsumptio contumaciæ. c. *Ex litteris*. juncta Glossa *Ad plenum*. *De in integrum restitut.* Sicut et ad excusandam absentiam peremptorie citati, admittuntur probationes minus sufficientes, ne veritati opinio prævaleat, c. *Cum Bertholdus*. 18, et Glossa *ibid.* *Ad plenum*. *De in integrum restitut.*; card. Tuschus litt. P. concl. 794. n. 8. post Geminianum consil. 57. num. 2.

64. *In causis summaris, ubi agitur de rebus modicis, sufficit semiplena probatio.* — Tertio, in causis summaris, ubi agitur de rebus modicis, et quasi nullius præjudicii, sufficere semiplenam probationem, imo quandoque sufficere juramentum, tradit Petrus de Ancharano in Clem. *Sæpe*, n. 24 et 25. *de Verb. signif.*; Mascardus, *de Probat.* quæst. 11. n. 19; Pirhing tit. *de Testib.* n. 112; Barbosa axiomat. 150. n. 2; Georgius Natta in repetit. Clem. *Sæpe*. n. 120. *de Verb. signif.*, citans alios, idque probans per cit. c. *Ex litteris*. et c. *Cum Bertholdus*, juncta l. *Thesaurus*. ff. *Ad exhibendum*.

65. *Secus in causis gravioribus.* — Additur tamen, « ubi agitur de rebus modicis » : ut pote quæ minus sunt in consideratione. Nam loquendo de causis gravioribus, seu majoris præjudicii, quod in judicio summario, aut quando causa cuiusdam delegatur cum clausula, ut procedat « summarie ac de plano, » non tollantur probationes necessariæ, legitimæque defensiones, patet ex Clem. *Sæpe*, *de Verb. signif.* Unde fit, quod plena probatio requiratur etiam in judicio summario et extrajudiciali, ubi agitur de irreparabili præjudicio inferendo. Speculator tit. *de Officio emn. judic.* § ult. n. 18, et Sperellus decis. 401. n. 57, citans alios. Neque potest iudex omittere probationes necessarias, quia sunt de jure divino. Maranta cit. part. IV *Speculi aurei*. dist. 9. n. 10; Barbosa clausul. 176. n. 21.

66. *In factis antiquis non requiritur plena probatio.* — Quarto fallit allata regula in factis antiquis. In his enim, cum sint difficilis probationis, atque ob temporum injuriam facile testes moriantur, aut legitima documenta pereant, admittitur probatio per libros

antiquos, famam, et quæcunque alia adminicula, c. *Cum causam*. 13, h. t. Aymon Cravetta tom. XVII *Tractatum*, tract. *de Antiquitate temporum*, part. I, § *Viso de forma*, n. 30 et 31, asserens, quod in antiquis probationes leviores, facilioresque sufficiant; et sufficiat quoque probatio per indicia et conjecturas, l. *Census et monumenta*, et quod ibi notatur, ff. *de Probat.* et l. *Qui ex liberis*, ff. *de Bonorum possession. secundum tabul.* et cit. c. *Cum causam*, h. t. et c. *Cum olim*, 19, juncta Glossa verb. *Antiquis, de Censib.* Quinimo subjungit Cravetta post Ancharanum consil. ult. in fine III dubii, et alios, quod in antiquis sufficiat probatio præsumptiva et adminicularis; item probatio per indicia, et conjecturalis, licet necessario non concludat: dummodo hinc excipiatur materia, in qua lex vel statutum requirit plenam probationem, quia tunc non sufficeret probatio per indicia et conjecturas; nisi forsitan talia forent, ut exinde consurgeret plena probatio. Concordat Mascardus *de Probat.* concl. 103, n. 12 et 13, citans plures alios; Menochius *de Arbitrar. judic.* casu 115, n. 1, asserens, receptissimam esse sententiam, in factis antiquis plenam illam et exactam probationem, quam in novis exigimus, non requiri. Farinacius consil. 189, n. 1 et 3, lib. II, post Rotam decis. 187, n. 5, part. I divers. et alios docens quod in antiquis admittatur probatio, quamvis non plena, sed ex indicibus, præsumptionibus, et conjecturis collecta.

67. *Idemque dicendum, ubi probationes directe haberi nequeunt.* — Quinto, ubi probationes directæ haberi non possunt, tunc id, quod per circumstantias et præsumptiones probatur, verum esse censetur; ut filiatio, l. *Filius*, ff. « De his qui sui vel alieni juris, » etc. Felinus c. *In præsentia*, n. 15, h. t.; Fagnanus c. *Ego N.* n. 16, *de Jurejurand.*; Sperellus decis. 27, n. 55, post Bellameram decis. 188, n. 24, et alios. Et generaliter, quod probatio admittatur alias non integra, ubi facultas probandi deest, tenet Abbas in c. *Cum in tua*, n. 7. *de Sponsalib.* id probans per textum in c. *Cum dilectus*, 32, juncta Glossa verb. *Etsi tres, de Election.* et c. *Præterea*, 27, *de Testib.*

68. *Et quando judici committitur causa sub clausula, ut procedat sola facti veritate inspecta—Tandem, ut nonnulla alia taceantur, ubi judici causa dijudicanda committitur sub clausula, ut procedat « sola facti veritate inspecta, » potest is admittere probationes*

leviores, seu persuasivas solum, et non concludentes. Barbosa, clausul. 173, n. 15; Menochius, *de Arbitrar. judic.* lib. I, quæst. 24, n. 4, istud extendens ad arbitratore, qui pariter possunt credere levioribus probationibus, cum sola veritate inspecta pronuntiare habeant.

69. *Qui intentionem suam plene probavit, non potest compelli, ut id ipsum juramento confirmet.* — Quæritur III. Utrum, qui intentionem suam plene probavit, possit compelli, ut ipsum præstito insuper juramento confirmet? Resp. negative; adeo, ut etiam consuetudo contraria non valeat. Textus est in cap. II, h. t. ubi Abbas in *Summario*; Barbosa n. 1 et 2 et communis. Accedit ratio: quia superfluis remediis, maxime in præjudicium alterius, non est utendum, l. *Hæc stipulatio* § *Divus*, ff. « Ut legatorum nomin. caveat; » sed superflua est exactio, et præstatio juramenti, quando quis intentionem suam jam plene probavit, ut puta per duos testes omni exceptione majores, vel per instrumentum indubitatum; « quia eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet, » ut loquitur reg. 31 juris in 6.

70. *Haud obstante contraria consuetudine, etiam immemoriali. Juramentum suppletorium, quando sit deferendum?* — Nec obstat contraria consuetudo, etiam immemorialis. Siquidem hujusmodi consuetudo est irrationabilis, sicque nullo unquam tempore potest induci: nam juramentum, si fiat absque ulla necessitate, seu justa causa, illicitum est, nec sine peccato fieri potest, c. *Etsi Christus*, 26, *de Jurejurand.* Ex quo fit, quod juramentum suppletorium tunc demum sit deferendum, cum aliæ legitimæ probationes deficient, cit. cap. II, h. t. et l. *In bonæ fidei*. C. *de Jurejurand.* cum concordantiis. Dummodo tamen semiplene sit probatum: alias enim non deferretur juramentum suppletorium, c. *Ex insinuatione*, ubi Glossa verb. *Clerici, de Procurat.* et cap. ult. *de Jurejurand.* Fagnanus in c. *Sicut*, n. 5, h. t. allegans alios.

71. *Litteris judicis ordinarii est standum, donec contrarius probetur. Per eas probatur quis esse excommunicatus.* — Quæritur IV. Qualis probatio singularum rerum, atque negotiorum in specie fieri possit, ac debeat? Resp. I. Per litteras judicis ordinarii probatur quis esse excommunicatus. Ita habetur expressum c. *Post cessionem*, 7, h. t. ubi idcirco Pontifex quempiam duxit non admittendum ad officium procurationis: quia, inquit, litte-

ris ordinarii « standum est, donec probetur contrarium. » Atque hoc ipsum est dicendum de similibus.

72. *Probatio singularum rerum, atque negotiorum in specie, qualis sit facienda? Remissive.* — Resp. II. Qualis probatio cæterarum rerum, atque causarum, in specie sit facienda, superfluum videtur hoc loco examinare. Frequens quippe de hoc recurrit mentio in propriis locis: prout de probatione confinium, jam dictum est supra tit. XII. *De causa possessionis et proprietatis*, § 7, n. 223 et seqq. et de probatione virginitatis proxime dicitur n. 86 et seqq. ut alia taceantur. Interim videre licebit Josephum Mascardum, celeberrimum illum jurisconsultum, et protonotarium apostolicum, qui integris quatuor voluminibus, *de Probationibus* inscriptis, ac sæpius in progressu citandis, probationem singularum rerum, atque causarum in specie, ordine alphabetico rarisssime, pleneque discussit.

## § IV.

## DE PRÆVALENTIA PROBATIONUM INTER SE, HARUMQUE EFFICACIA.

73. *Quænam probatio in concursu plurium prævaleat? Probationes quandoque fiunt ab utraque parte?* — Quæritur I. Quænam probatio in concursu plurium prævaleat? Ubi prænotandum non raro contingere, quod ex utraque parte, tam actoris videlicet quam rei, quædam afferantur probationes: unde ad dignoscendum, quænam earum prævaleant, oportet quasdam generaliores tradere regulas, juxta quas iudex, cujus arbitrio prævalentia probationum plurimum relinquatur discernenda, juxta dicta n. 60, in causis particularibus recte arbitrari, et probe judicare valeat. Et quidem suppositis illis, quæ superius tit. XII. *De causa possessionis et proprietatis*, § 7, n. 223 et seqq. jam dicta fuerunt de probationibus in judicio communi, ac interdicto retinendæ possessionis, ex utraque parte faciendis, et quænam earum obtineat.

74. *Si non sint contrariæ, tunc se invicem non enervant.* — Resp. I. Quando probationes non sunt contrariæ et incompatibiles, sed possunt commoda aliqua distinctione inter se conciliari, tunc se invicem non enervant, sed quælibet retinet suam vim. Ita Fagnanus in c. *Quod nobis*, n. 13 et 17, *de Desponsat. im-*



puber. post Baldum, consil. 380. *Tres sunt casus*, n. 2 et 3, lib. V. Idque desumitur ex Clem. 2, juncta Glossa verb. *Directe contrariis. de Testib.* Alioquin enim, si probationes non sint directe contrariæ, sed possint invicem stare, sicut expedit jura juribus concordare, atque eorum correctiones (si sustineri videant) evitare, c. *Cum expediat*, 29, de *Election.* in 6, etiam eorum apparentem contrarietatem reducendo ad concordiam per divisionem actuum, arg. c. *Litteras*, 13, § *Nos autem, de Restitut. spoliat.* ac notat Glossa marginalis in cit. c. *Cum expediat*. Ita pariter dicendum est de probationibus directe non contrariis, sed quamdam inter se conciliationem patientibus: uti sit in c. *Cum tu, fili*, 16, de *Testib.* ubi dicta testium, ne perjurii reatu notentur, benigna interpretatione, ac distinguendo de diversis temporibus, ad concordiam revocantur.

75. *Probationes contrariæ, quæ?* — Ubi notandum, quod illæ probationes dicantur contrariæ, quæ ita invicem sunt oppositæ, et incompatibiles, ut nulla ratione conciliari possint; puta, quia sunt super articulis directe contrariis, de iisdem personis et actibus, ac de eodem instanti temporis. Glossa in cit. Clem. 2, verb. *Directe contrariis, de Testib.* id exemplificans de majoritate et minoritate, de legitimitate, de absentia et presentia ejusdem personæ, ac pro eodem tempore. Fagnanus, ubi supra, et alii. Et de talibus probationibus contrariis imposterum erit sermo: quo prænotato

76. *Ex probationibus contrariæ fortior prævalet, et minor habetur pro non facta.* — Resp. II. Generatim loquendo, ex probationibus contrariis fortior seu efficacior prævalere debet, et minor habetur pro non facta. Ita card. Tuschus, litt. P. consil. 798, n. 4; Fagnanus in c. *Quod nobis*, n. 15, de *Clandest. desponsat.*; Mascardus de *Probation.* concl. 1200, n. 63; Menochius, de *Retinenda possessione*, remed. 3, n. 718, citans alios. Ratio est, quia hæc est natura contrariorum, ut se mutuo expellant, Clem. *Gratue, de Rescript.* et l. *Sed et si pupillus*, juncta Glossa verb. *Si institoria*, ff. de *Institor. action.* Et vincat, quod potentius est, l. *Generaliter*, ff. de *Fidejussorib.* cum similibus. Unde consequens est, quod probationes meliores atque efficaciores ita obscurent, atque debilitent minus efficaces, ut iste minus veræ credantur, sicque obtineat is, qui melius probat, l. *Ob carmen*, § fin. ff. de *Testib.*

77. *Probatio clara vincit præsumptivam.* — Inferitur proinde, quod probatio clara vincat probationem præsumptivam. Quia, ut habetur l. *Imperatores*, ff. de *Probation* estque receptum inter doctores, «Præsumptio cedit veritati:» ac proinde, ubi per probationem plenam seu claram apparet veritas, conjecturis, ac præsumptioni locus non est. Card. Tuschus cit. litt. P. concl. 612, n. 1 et seqq. allegans alios; idque ulterius probans ex l. *In rebus*, c. de *Jure dotium.* Atque istud ampliatur ad probationem præsumptivam, quæ cæteroquin de se sufficeret: nam in concursu cum plena probatione prævalet plena, et præsumptiva non attenditur. Geminianus consil. 27. *Super dubio*, n. 1 et 11, addens, quod plena probatio absorbeat semiplenam. Card. Tuschus litt. P. concl. 798, allegans alios.

78. *Et plenior absorbet, seu vincit contrariam minus plenam.* — Inferitur ulterius, quod probatio plenior absorbeat, seu vincat contrariam minus plenam; prout desumitur ex c. *Cum Ecclesia*, 3, § *Partibus, de Causa possess.* ubi: «Plenius probavissent:» juncto c. *Licet causam*, 9, § fin. h. t. ibi: «Cum probationes Ecclesiæ longe sint potiores:» Glossa c. in *In nostra*, verb. *Mentionem, de Procurat.* Fagnanus in c. *Ne inuitaris*, n. 281, de *Constitut.* et d. c. *Cum Ecclesia*, n. 15, de *Causa possess.* post Bartolum in l. *Si duo*, n. 4, ff. *Uti possidetis*. Rotam decis. 366, n. 4, part. V recent., et alios. Sic prævalet probatio, quæ majori numero testium ejusdem honestatis, et existimationis existentium, est munita, text. clar. c. *In nostra*, 32, de *Testib.* Sicut et duæ rationes cæteris paribus vincunt unam, arg. l. *Nam et vis*, et ibi communiter doctores ff. de *Inoffic. testament.* Glossa c. *Cum inter*, r. 16, verb. *Episcopus minus, de Election.* Fagnanus cit. c. *Ne inuitaris*, n. 283, allegans alios.

79. *Ac ubi probationes omnino sunt æquales, tunc quælibet probatio levis, etiam minus legitima, quæ superadditur uni parti, facit prævalere probationem istius partis.* — Quinimo, ubi probationes ex utraque parte sunt æquales, et omnino pares, tunc quælibet probatio levis, etiam minus legitima, quæ superadditur uni parti, facit prævalere probationem istius partis. Alexander, consil. 136, n. 4, vol. VI, citans Baldum post Glossam in cap. I, § *Si duo, de Pace tenenda.* Atque istud ampliatur ad informationem unius solius testis non legitime recepti, et non jurati; ita quod, ubi

probationes sunt hinc inde pares, testis unium dictum extra judicium faciat præponderare. Alexander, consil. 112, n. 8, lib. IV. Idemque dicendum de qualibet præsumptione, vel adminiculo, quod data cæteroquin omnimoda paritate probationum, facit unam partem prævalere. Fagnanus cit. c. *Ne inuitaris*, n. 449, de *Constitut.* card. Tuschus; litt. P. concl. 798, n. 17; Mascardus de *Probation.* 1200, n. 22, citans complures alios. Ratio est, quia, ubi cæteroquin paria sunt probationum momenta, tunc paritas illa reducitur ad imparitatem per quodlibet additum alteri extremo; ac proinde istud prævalere debet.

80. *Data omnimoda æqualitate probationum inde stantium, tunc probationes contrariæ invicem conquassantur.* — Resp. III. Data omnimoda æqualitate probationum hinc inde stantium, tunc probationes contrariæ invicem conquassantur. Ita Glossa in c. *Licet causam*, § *Uti possidetis*, h. t. quam sequitur, et communiter esse approbatam testatur Fagnanus in d. c. *Ne inuitaris*, n. 160, de *Constitut.* citans insuper Felinum, et Decium c. *In presentia*, n. 12, h. t. et Seraphinum, decis. 619, n. 3 et 9. Idque merito: nam stante omnimoda æqualitate probationum, non est major ratio, cur hisce potius stetur, quam aliis; ergo invicem conquassantur.

81. *Quid si duo arbitri, vel duo judices delegati dederunt contrarias sententias? Vel idem legatum factum fuit Sempronio, et duo sint Sempronii ejusdem qualitatis?* — Confirmatur, et probatur id ipsum a simili. Sic quippe, ubi duo arbitri contrarias dederunt sententias, neutra harum valet, cap. ultim. § fin. de *Sentent. et re judicat.* Similiter, ubi duo judices delegati diversas dederunt sententias, manet utraque sententia in suspenso, donec per delegantem altera earum fuerit approbata, cit. cap. ultim. et l. *Duo judices*, ff. de *Re judicat.* Item, si quid legatum fuit Sempronio amico, et duo sint Sempronii æqua charitate conjuncti, nec appareat aliunde, cui ipsorum testator relinquere voluerit; tunc legatum præ omnimoda ambiguitate, atque incertitudine vitiatum, et neutri debetur, l. *Si ita fuerit legatum* ff. de *Rebus dubiis*; ubi nonnulla alia talia exempla referuntur.

82. *In æqualitate probationum favetur reo, seu possessori.* — Itaque in dicto casu æqualitatis probationum contrariorum, quæ hoc ipso ad invicem conquassantur, favetur reo, juxta reg. 41 juris in 6; seu possessori, c. *In pari delicto*, 65, de *Reg. jur.* in 6. cum

concordantiis. Vel, si uterque se possidere contendat (prout accidit in judiciis communibus) nec appareat, quis primo ad judicium provocaverit: tunc in causis beneficialibus neuter litigantium obtinebit; in profanis autem pronuntiatur secundum formam interdicti, «Uti possidetis, ita possideatis:» prout uberius jam dictum est supra tit. XII. De *Causa possessionis et proprietatis*, § 7, n. 239 et seqq.

83. *Exceptis causis favorabilibus: et quæ sint istæ?* — Excipiuntur tamen hinc causæ favorabiles: quales sunt quatuor, videlicet pro matrimonio, libertate, dote, seu testamento, cap. ultim. de *Sentent. et re judicat.* Nam data omnimoda paritate, seu æqualitate probationum, pro causa favorabili ferenda est sententia, cit. cap. ultim. *Ex litteris*, 3, de *Probationib.* estque jam dictum supra eod. tit. XII. de *Causa possessionis*, etc. § 2, n. 46.

84. *Probatio per rei veritatem, prævalet probationi per præsumptiones et conjecturas.* — Queritur II. Quænam inter plures probationes sit censenda fortior, seu efficacior? Resp. I. Probatio per rei veritatem semper prævalet probationi, quæ fit per præsumptiones et conjecturas. Ita Abbas in c. *Per tuas*, n. 2 et 3, et Fagnanus ibid. n. 10. *Qui filii sint legit.*; card. Tuschus litt. P. concl. 798, n. 7 et alii. Idque desumitur ex cit. c. *Per tuas*: ubi Pontifex inquit, «quod plus est, quod in veritate agitur, quam quod simulate concipitur.» Id ipsum habetur l. I et seqq. c. *Plus valere quod*, etc. simulque probatur conclusio inductione.

85. *Sic probatio per duos testes præfertur communi opinioni viciniæ, ac uni testis cum fama.* — Sic imprimis probatio per duos testes contestes, præfertur communi opinioni Viciniæ. Nam ex dictis testium, utpote deponentium de iis, quæ proprio ceusu perceperunt; colligitur vera probatio; non sic ex opinione Viciniæ. Abbas cit. c. *Per tuas*, n. 2. *Qui filii sint legit.* Deinde probatio per duos testes conformes de visu, præfertur probationi per unum testem de visu cum fama. Socinus, consil. 270, lib. II; card. Tuschus, cit. concl. 798, n. 2.

86. *Et probatio per aspectum præfertur attestationi jurate in contrarium.* — Ulterius probatio per aspectum corporis præfertur probationi per attestationem juratam in contrarium. Ita desumitur ex c. *Proposuiti*, 4, h. t. ubi Glossa § *Puella*. Abbas n. 1 et Barbosa n. 3, citans plurimos alios. Nam mota



quæstione super valore matrimonii, cum mulier proposuisset se non fuisse a viro cognitam; nec potuisse cognosci; idque tam proprio juramento, quam testimonio septem mulierum, quæ corpus ejus inspexerant, probavisset, vir autem per juramentam suum contrarium asseruisset: declarat pontifex, quod juramento mulieris, et testimonio aliarum matronarum eam inspicientium, ac de virginitate ejus deponentium, fides potius sit adhibenda.

87. *Virginitas qualiter probetur?* — Nec obstat can. *Si quis acceperit*. 33, quæst. 4 et c. *Continebatur*. 6. de *Desponsat. impuber.* ubi habetur expressum, quod si vir dicit se cognovisse uxorem, et ista negat, standum sit juramento viri. Resp. enim cum Glossa in cit. c. *Continebatur*. §. *Viri standum*, isthæc jura procedere, quando mulier non probat se virginem per aspectum corporis: alias secus, ut cit. c. *Proposuisti*, h. t.

88. *Virginitas qualiter probetur?* — Per hoc amen non negatur, quin in tali casu possit reprobari testimonium matronarum, per quas probatur virginitas: « quia sæpe manus fallit, et oculus obstetricum, » ut inquit pontifex in c. *Causam matrimonii*. 14. h. t. Verumtamen talis reprobatio debet tunc fieri per novam inspectionem ocularem aliarum honestarum, providarum et prudentum matronarum; non autem per merum juramentum viri, prout contingit in cit. c. *Causam matrimonii*. h. t.

89. *Juramento alicujus non creditur, si legitime probetur contrarium.* — Insuper non creditur juramento alicujus, si ex adverso legitime probatur contrarium. Abbas n. c. *Proposuisti*. n. 1 et Barbosa ibid. n. 3. h. t. allegans alios. Atque istud procedit, etiamsi lex, sive statutum aliquid disponat, in tali casu standum esse testimonio, sive juramento alicujus, puta publici officialis: quia lex illa intelligi debet locum habere, nisi ex adverso legitime probetur contrarium; ut d. c. *Proposuisti*, h. t. Accedit ratio, quia probatio per juramentum, est solum præsumptiva; unde debet cedere, si ex adverso afferatur probatio integra per rei veritatem.

90. *Ad impugnandum instrumentum non admittitur probatio præsumptiva.* — Rursus ad impugnandum instrumentum non admittitur probatio præsumptiva. Glossa in leg. *Juris gentium*. §. *Quod fere*. §. *Contrarium probetur*. ff. de *Pactis*. Ubi Baldus in Glossa marginali relatus notanter addit, quod fal-

sitas instrumenti non probatur, nisi de necessitate, et concludenter probetur. Id ipsum tenet Fagnanus in c. *Per tuas*. n. 11. *Qui filii sint legit.* citans insuper Decium, consil. 36, n. 4 et Rotam decis. 106, n. 4, part. II recent.

91. *Probatio per evidentiam facti, seu aspectum ocularem, est omnium optima.* — Resp. II. Probatio, quæ fit per evidentiam facti, seu aspectum ocularem, est omnium optima, et cæteris validior. Ita Glossa in c. *Ad nostram*. 21. §. *Requirat*. de *Jurejurand.* Jason l. *De perjurio*. n. 3. *De in litem jurand.*, asserens regulam esse, quod probatio per evidentiam rei, seu per inspectionem ocularem, nunquam intelligatur exclusa: quia est fortior probatio de mundo: ut fuit dictum singulare d. Azo. in *Summa*. titul. c. *ad Legem Aquil.* quod sequitur Baldus in rubric. c. *de Probat.* Mascardus quæst. 8, n. 1 et seqq., allegans alios; et concordant dicenda inferius n. 166. Ratio est, quia nulla alia de causa probationes in jure requiruntur, nisi ut veritas in apertum deducatur, et ipsi judici nota fiat; atqui hoc vel maxime fit per facti evidentiam, et inspectionem ocularem; ergo. Hinc c. *Evidentia*. 9. de *Accusation.* dicitur: « Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris. » Concordat cap. ultim. de *Cohabitat. cleric.* et c. *Cum olim*. 24. de *Verb. signif.* ubi illud dicitur manifestum, seu notorium, de quo constat « per sententiam (diffinitivam) seu per confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. »

92. *Et hæc nunquam censetur exclusa, etiamsi statuto caveatur, non admittendam probationem in contrarium.* — Infertur proinde, quod probatio per evidentiam facti, seu inspectionem ocularem, nunquam censetur exclusa, etiamsi statuto caveretur, ne in contrarium probatio vel exceptio admittatur. Sic, quamvis probata violentia per testes, res amissæ probentur per juramentum damnum passi, l. *Si quando*, c. *Unde vi*. et cap. ultim. de *ius quæ vi metusve causa*, etc. Si tamen reus per evidentiam rei probare velit damnum a se illatum non esse tantum (ut puta ostendendo, quod res illæ, quæ jurato dicebantur ablatæ, adhuc existant penes damnificatum) admittenda erit dicta probatio per rei evidentiam: haud obstante statuto speciali, quo expresse cautum fuerat, ne in contrarium probatio admittatur. Mascardus, cit. quæst. 8, n. 6. post Tiraquellum in tract. de *Retract.* §. 4, gl. 2, n. 13 et seqq. et alios.

93. *Idem dicendum de exceptionibus ex inspectione instrumenti.* — Insuper, licet a statuto rejectæ sint omnes exceptiones, illæ tamen opponi poterunt, quæ ex inspectione instrumenti, vel contractus, aut sententiæ, sine alterius actus apparere possunt. Tiraquellus, loc. cit. n. 38; Mascardus ubi supra, n. 18, allegans alios, ac n. seqq. istud amplians ad testamentum; nam etsi regulariter pro testamento præsumatur, fallit tamen hoc, quando ex ejus inspectione constat de aliquo vitio, ut puta de minore numero, aut defectu subscriptionis testium.

94. *In pari causa prævalet probatio, quæ est favorabilior.* — Resp. III. In pari causa prævalet illa probatio, quæ est favorabilior. Ita Romanus, consil. 241, n. 2 et seqq. quem citat, et sequitur card. Tuschus, litt. P. concl. 798, n. 24 et seqq. istud exemplificans in pari probatione, quarum una est pro delicto, altera exclusiva delicti. Siquidem « promptiora sunt jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, » ut dicitur c. *Ex litteris*. h. t. juncta reg. 11 juris in 6. cum similibus. Concordat c. *Ex litteris*, 3. h. t. et cap. ultim. de *Sentent. et re judicat.* ubi stantibus æqualibus hinc inde probationibus judicandum dicitur pro causa liberali, seu favorabili.

95. *Vel cui lex assistit.* — Resp. IV. Cæteris paribus efficacior est illa probatio, qui lex assistit, quam sit illa, cui lex resistit. Ita Baldus in c. *Si diligenti*. n. 21. de *Præscript.* juncto textu ibid; card. Tuschus, litt. P. concl. 798, n. 20; Menochius de *Retinenda possessione*, remed. 3, n. 721; Jason in l. *Naturaliter*. §. *Nihil commune*. n. 40. ff. de *Acquirend. possess.* Nec immerito: nam ille, cui favet jus commune, habet insuper juris adminiculum; ac proin cæteris paribus vincere debet. Accedit, quod illæ probationes censentur meliores, « quibus potius lux veritatis assistit, » prout dicitur in l. *Ob carmen*. §. fin. ff. de *Testib.* Atqui cæteris paribus lux veritatis potius assistit illi, cui lex assistit, quam cui ea resistit; ergo.

96. *Probationes in specie semper prævalent probationibus in genere.* — Resp. V. Probationes in specie semper prævalent probationibus in genere. Ita Alexander, consil. 77, n. 6, lib. I. citans Innocentium in c. *Auditis*. de *Præscription.* et istud declarans in eo, quem plures affirmarunt esse bonæ famæ, duo autem contestabantur esse reum criminis falsi, nam illorum probationes sunt in genere, horum in specie, et sic prævalent. Id ipsum

repetit consil. 148, n. 3 et 5, lib. II. eumque sequitur card. Tuschus, litt. P. concl. 799, n. 8 et seqq. et n. 22. citans alios, istudque exemplificans in duobus testibus deponentibus de fructibus, et quantitate ipsorum in specie quoad tempus, et annum, de quo agitur: nam istis, inquit, magis statur, quam pluribus, vel mille deponentibus in genere pro aliis annis. Desumitur autem istud ex reg. 34 juris in 6. « Generi per speciem derogatur, » cum concordantibus.

97. *Ex probationibus per testes, quæ censeatur melior?* — Tacentur plura similia: nam quæ probationes cæteris sint meliores, atque efficaciores, longum foret recensere, atque de nonnullis earum commodius agetur in propriis locis. Breviter tamen loquendo de probationibus per testes, jam dictum est supra titul. XII. de *Causa possessionis et proprietatis*. §. 7, n. 232 et seqq. quod illa cæteris paribus censeatur probatio melior, atque efficacior, quæ fit per testes plures, simulque honestiores, ac magis verisimilia deponentes; ut c. *Licet causam*. 9, h. t. et c. *In nostra*. 32, de *Testib.* cum similibus. Quanquam hoc ipsum, seu quinam testes sint honestiores, ac carentes omni sinistra suspicione, simulque magis verisimilia deponentes, iudicis arbitrio relinquatur discernendum, l. *Testium fides*. et l. *Ob carmen*. ff. de *Testib.* estque jam dictum superius n. 60.

98. *An duæ semiplenæ probationes faciant unam plenam? Affertur ratio dubitandi, ac negativam tenendi.* — Quæritur III. Utrum duæ semiplenæ probationes faciant unam plenam? Ratio dubitandi, et negativam tenendi, est: quia duo testes singulares non probant, c. *Cum dilectus*. 32. de *Election.* et c. *Licet causam*, h. t. et tamen quilibet eorum facit semiplenam probationem. Accedit, quod duo imperfecta non constituent unum perfectum, arg. can. *Quorundam*. dist. 23, juncta Glossa verb. *Imposuisse*. Verum his non obstantibus,

99. *Sententia affirmativa statuitur.* — Resp. I. Duæ semiplenæ probationes possunt jungi, et facere unam plenam probationem, dummodo tendant ad eundem finem. Ita Abbas in c. *Cum causam*, n. 2. h. t.; Bartolus in leg. *Admonendi*. §. *His præmissis quero*. ff. de *Jure jur.*; Anton. Burgos in repetit. c. *Cum accessissent*. n. 71. de *Constitut.*; card. Tuschus, litt. P. concl. 796, n. 20; Mascardus, de *Probation.* concl. 254, n. 3; Pirhing h. t. n. 3 et alii. Idque desumitur ex cit. c. *Cum causam*, 13. h. t. ubi pontifex ad plene probandos